


DE  
**CASUUM OBLIQUORUM ORIGINE ET NATURA**

DEQUE GENITIVI SINGULARIS NUMERI ET ABLATIVI GRAECAE LATINAEQUE DECLINATIONIS  
CONFORMATIONE DISSERTATIO.

SCRIPSIT

**E. A. FRITSCHIUS.**



1. DE CASUUM OBLIQUORUM ORIGINE ET NATURA.

Suffixa illa, quae vocantur, casuum obliquorum simul cum praepositionibus, quantum ad originem, a nonnullis grammaticis linguarumque exploratoribus, veluti a Boppio (in Grammatica Comparativa §. 115), pronomina fuisse existimantur. Cui sententiae, quae in nominativi quidem casus valet notam, id potissimum obstare videtur, quod ejusmodi voces non per se possunt cogitari, nisi in quadam casus forma ponuntur, h. e. non animo nisi declinatione jam proposita possunt concipi. Alii grammatici, v. c. Pottius (Quaest. Etymolog. t. II. p. 358, 622 sqq.), in formis casuum obliquorum aliquod praepositionum genus reperire sibi videntur; atque ipsis praepositionibus antiquissimis Pottius putat propriam quandam contineri sermonis materiem, quae praeter radices vocum notiones designantium et eam linguae materiem, quae suppeditetur pronomibus, pro tertia linguae materia habenda sit, ad conformationem linguae et structuram efficiendam destinata. Quam conjecturam qui amplectuntur, eadem illa difficultate, de qua modo diximus, implicantur: nam quae forma caruerint, ea in nulla lingua unquam extiterunt, praepositiones autem non aliter quam certi cujusdam casus forma praeditae cogitari possunt.

Propria potestas, qua suffixa declinationis funguntur, haec est, ut varias relationes et directiones in spatio denotandas expriment. Haec autem significatio, quae ipsis communis est cum praepositionibus perspicueque eandem originem videtur probare, etiam magna pars est et notabilis ejus potestatis ac notionis, quae inest in verbo et nomine: etenim cum verbis nominibusque *agendi* notio tanquam sua subjecta sit, haec notio motus notionem et directionis simul complectitur. Haec vero interna cognatio, quae suffixis casuum antiquissimisque praepositionibus intercedit cum verbis ac nominibus, ut statuamus nos impellit, non solum derivationis suffixa, quae interjecta sunt inter radices et sive casuum signa in nominibus sive personarum ac modorum in verbis finitis, sed ipsas etiam casuum obliquorum notas ex radicibus ortas esse. Sed in his radicibus, dum munere in exitu nominum demandato funguntur, prisca vis et propria potestas adeo obscurata vel imminuta est, ut nihil nisi denotatio directionis cujusdam relicta sit. Sic alia radix, cui significatus erat *eundi*, adeo attenuata est, ut tantummodo directionem in locum quandam institutam (*hin*) indicaret, quod perspicuum erit, ubi comparaveris radicem *i* verbi *ī-re*, *ī-évu* cum signo dativi casus *i*, radicem *me* et *mo*, quae inest in Latino *meare*, Graeco μέμα-α, μά-σμουα cum signo accusativi *m* Latinorum, *v* Graecorum vel cum Slavico *mo*, idem quod nostrum *hin* valente (conf. Dobrowsky Instit. p. 430); alia, cui suberat vis *veniendi*, ita deminuta est, ut ex aliquo loco directionem solum (*her*) significaret, quam ad rem consideranda est radix Sanscritica dhāv = dhu, Graeca θεF verbi θεω (pro θεF-ω), θεύ-σμουα, et suffixum illud θε(v).

Quod si statuamus, neque facile alia verior ratio indagari poterit, radices, quibus pro suffixis casuum usus est linguae Genius, nominativi formas fuisse, casus obliqui ex nominativo numeri singularis (is nominativus enim pro casu vetustissimo habendus est), naturali via ita nascuntur, ut radices illae, olim nominativi forma aequales, mutatae in suffixa, nomini, cui adjunctae sunt, sua vi et potestate relationis cujusdam intellectum et variante vel evanescente hujus illiusve litterae sono variam formam adderent. Cui sententiae favet et consentaneum est illud, quod in omnibus linguis aequè reperitur, litteram *s* nominativi (pro *t*, quam in verbis finitis, v. c. ama-t, legi-t, videmus, unde etiam neutrius notam *d* et *m* derivamus) propriam ipsam per se non servari in ullo casu obliquo, id quod exspectes, si res ratiocinando dijudicetur, cum notio ea, quae per nominativi litteram *s* effertur, h. e. notio *agentis*, juncta cum *agendi* vel *actionis* notione, quae in stirpe inest, ideoque ipsum *agens* in casibus obliquis perdurare non desinat.

Ad ejusmodi suffixa conformanda, quae modo descripsimus, varias radices adhibere lingua potuit, id quod re vera factum esse ex magno in compluribus linguis numero casuum perspicitur: nam lingua Sanscritica sex casus, Finnica, ut quidem traditur, undecim casus habet.

In prisco illo linguae statu radices, quae factae sunt suffixa casuum, ex integra sua potestate plus minusve haud dubie retinuerunt, ut significatus aliquam varietatem in loquendo homines sentirent, sed haec facultas varia sentiendi eodem modo evanuit, quo eorum quae discernenda essent interna vis et natura debilitari coepta est. Quo magis autem opes internae infractae sunt, eo magis ambitus soni auribus percipiendi debilitatus est; ac cum principio unumquodque suffixum, quantum licuit per leges ejus quod bene maleve sonaret, nominativo suo constitisset, paulatim ventum est eo, ut suffixa, si minus omnia (quae formam suam plenissime tenere, in his Sanscriticum *tās*, Latinum *tūs*, Graecum  $\theta\varepsilon\nu$ , in quo  $\nu$  ex  $\varsigma$  debilitatum judicamus, numeranda videntur; potestas autem eadem est omnibus, quae nostrae voculae *her*), at plurima ita attenuarentur, ut, dum conficitur modo illud ad nominativi conformationem adhibitum s modo perit una littera vel plures ex suffixi radice, in aliquot casibus formae coalescerent, in aliis propter significationis similitudinem etiam potestates eorum concreserent, ut tandem unus casus fieret ex pluribus. Hac fere ratione factum esse videtur, ut in Slavica lingua *quinque*, in Latina, ubi etiam locativi reliquiae exstant, *quattuor*, in Graeca et Theodisca (posterior etiam instrumentalis reliquias servasse traditur) *tres*, in duali numero apud Graecos *duo* casus obliquos formis discretos videamus; in aliis autem linguis, veluti in Hebraica, Franco-gallica, omnes fere casuum variae formae evanuerunt et pro his praepositiones ascitae sunt.

Quemadmodum autem varii casus in unum coalescunt, ita rursus, quanquam minus saepe, unus in plures diffinditur, atque hoc inde nascitur, cum in suffixis litterae aliae retinentur aliae abjiciuntur.

Quae adhuc generatim exposui, ea comprobare et illustrare ita conabor, ut genitivum et ablativum numeri singularis paulo copiosius et accuratius pertractandos eligam, cui quaestioni lingua Graeca et Latina praecipue, ceterae, ut commodum videbitur et consentaneum instituti mei rationi, adhibebuntur.

## 2 DE GEMELLIS GENITIVI ET ABLATIVI SINGULARIS SUFFIXIS.

Quas Indogermanicas linguas appellavit recentior usus, earum genitivi, quantumvis alioqui inter se discrepent, communi et tanquam propria nota littera *s* utuntur. Genitivus autem perinde atque ablativus eandem relationem indicant, qua definitur, *unde* aliquid veniat (*her*). Quo fit ut alter alterius vices apud Latinos saepius sustineat; in Zendica autem lingua ablativo nominis substantivi genitivus adjectivi adjungitur, qua de re dixit Boppius Gr. Comp. §. 181, p. 213. Ob eandem hanc vim Pottius eo inclinatur Qu. Etym. II, 631, ut existimet, cum utrumque casum ex uno natum esse, tum *s* genitivi notam et *d* Latini ac *t* Sanscritici ablativi signum, in quibus Boppius nihil praeter variantem sonum litterae *s* agnoscit, reliquias esse ejusdem suffixae vocis. Cujus formam plenior sibi reperire videtur in eo suffixo, de quo supra dicebamus, cujus significationem cum nostro *her* congruere intelleximus, formam autem Sanscriticam *tās* esse, Latinam *tūs*

(veluti radici-*tus*, fundi-*tus*), Graecum  $\tau\omicron\varsigma$  (v. c. ἐν-τός in-*tus*, ἐκ-τός, in quibus vero significatio ita mutata est, ut pro relatione her admissa sit ea, qua  $\nu\omicron$  denotetur; non igitur valent von innen, von außen, sed: innerhalb, außerhalb: nimirum casuum obliquorum, qui principio omnes aut her aut hin designant, modo hi modo illi vices  $\nu\omicron$  susceperunt). Ubi suffixum genitivi factum est, litteram dentalem sive lingualem *t* amisit, ubi ablativi, extremam litteram *s* abiecit. Gradus quosdam, quibus posterior haec debilitatio paulatim processerit, videre licet in Graeco suffixo (ablativi)  $\theta\epsilon\nu$  et  $\theta\epsilon$ : cf. οὐρανό-θεν, οἴκο-θεν, δαίτη-θεν, πατρό-θεν cet., sed forma debilitata ante consonantes, ut ὄπισ-θε, πάροι-θε: perinde in Latinorum suffixo adverbiali *tur*, quod inhaeret conjunctioni *igi-tur* (a Sanscr. *ihā-tas* hier-her, littera *r* Latinae linguae more ex *s* debilitata), deinde in *ter* (ubi *e* pro *u* propter subsequens *r*, ut in *gener-is* ex *genus*): v. c. *acri-ter*, *difficul-ter*, postremo in *de*, quae vocula forma eadem, sed producta vocali, et praefixi loco, ut Sanscr. *tas* [quod fortasse in nomine *tas-karas* = *fur* offendimus: v. Pott. Qu. E. II, 631] et praepositionis loco in usu est): v. c. *und-ē* (pro *cund-ē*, *κό-θεν*, *πό-θεν*). Quod si re vera hoc suffixum ex radice supra commemorata Scr. dhāw, dhu, Gr.  $\theta\epsilon F$  repetendum est, in forma Graeci sermonis, qui etiam  $\delta$  et  $\varsigma$  (pro  $\tau$  in fine vocabulorum posito) exhibet (exempla videbis afferri postea, ubi de ablativo disseretur), muta littera radice fidelissime servata est. Apud Latinos pro Scr. *dh* et Gr.  $\theta$  persaepe exstat *d*: cf. *medius* et Scr. *madhjas*; itemque reperitur *t*: cf. *latere* et  $\lambda\alpha\theta\epsilon\tau\gamma$ , *putere* et  $\pi\acute{\upsilon}\theta\epsilon\iota\nu$ . Si verum est, quod docet Boppius Gr. Comp. §. 223, Scr. *dhas* in *a-dhas* = *subter* non differre a Scr. *tas*, hic quoque mutae litterae radicalis pristina sua forma servata est.

Casus utriusque, genitivi ablativique numeri singularis, conformandi ratio varia est pro vario tempore, quo quisque formam suam accepit, et pro vario exitu stirpis, cui suffixum casus adjunctum est.

### 3. GENITIVI SINGULARIS NUMERI CONFORMATIO.

In stirpibus, quae in consonantem exeunt, *s* littera genitivi vocalem a principio sibi praepositam conservat, ideoque lingua Scr. suffixi formam *ās* habet, Graeca debilitatam  $\omicron\varsigma$ , Latina *īs*, olim *ūs*, raro *os*: cf. Scr. *vāb-as*, Gr.  $\delta\pi-ός$  (pro *Fox-ός*), Lat. *vōc-is*; Gr.  $\nu\omicron\alpha\tau-ός$ , Lat. *noct-is*; *ūs* olim apud Latinos fuisse demonstrat *part-us* pro *part-is*, *honor-us* pro *honor-is*, *homin-us* pro *homin-is*; inter stirpes vocali conclusas *os* semel reperitur in *senatu-os*, forma S. C. de Bacchanalibus. In stirpibus vocali *o* vel *a* conclusis dum *s* apud Latinos (in nominibus primae et secundae declinationis) constanter abiecitur, in stirpibus littera consona terminatis raro admodum et per exceptionem loco suo mota est, ut in genitivis illis *nepoti*, *religioni*, *Jovi*.

Eadem in universum observantur in stirpibus Graecae linguae, quae vocalibus *i*, *u*,  $\omega$ ,  $\omicron$  ( $\omicron F$ ), in Latinis, quae *i* et *u* terminantur: v. c.  $\pi\acute{\omicron}\lambda\iota-ος$  (Jon.),  $\iota\chi\theta\acute{\upsilon}-ος$ ,  $\eta\rho\omega-ος$ ,  $\eta\chi\acute{\rho}-ος$  (pro  $\eta\chi\rho F-ος$ ) sive  $\eta\chi\rho\acute{\upsilon}\varsigma$ , *gru-is*, *domu-is*, unde *domūs*, *exercitu-is*, unde *exercitūs* (formae *senati*, *tumulti* prodire ex stirpibus in *o* pro *u* desinentibus); sed tamen singularia haec tenenda sunt.

a) Graecae stirpes in *i* vel *u* exeuntes ante vocalem genitivi aliorumque casuum et ante litteram sibilantem dativi pluralis vulgo *e* offerunt, qua in re incertum est, utrum hoc *e* in locum *i* vel *u* venerit, an idem novum ante *i* vel *u* hic accesserit, ut inter vocales *e* et  $\omicron$  vocalis *i* vel *u* in consonantem *j* (nam haec a primordio aeque in Graeca lingua atque in cognatis fuerit necesse est) vel *w* (*F*) transiens ejecta sit: cf.  $\eta\ \pi\acute{\iota}\sigma\tau\iota-ς\ \pi\acute{\iota}\sigma\tau\epsilon-ω\varsigma$ ,  $\tau\acute{\omicron}\ \acute{\alpha}\sigma\tau\upsilon\ \acute{\alpha}\sigma\tau\epsilon-ος$ . E pro *i* vel *u* successisse, ostendere videtur declinatio Dorica et Jonica, ubi *i* vel *u* pro Attico *e* teneri solet: v. c.  $\eta\ \pi\acute{\omicron}\lambda\iota-ς\ \pi\acute{\omicron}\lambda\iota-ος$ ,  $\tau\acute{\omicron}\ \mu\acute{\iota}\sigma\upsilon\ \mu\acute{\iota}\sigma\upsilon-ος$ , quorum forma Attica  $\pi\acute{\omicron}\lambda\epsilon-ω\varsigma$ ,  $\mu\acute{\iota}\sigma\epsilon-ω\varsigma$  sed tamen etiam apud Jones aliquando  $\epsilon-ος$  pro  $\upsilon-ος$  reperitur: v. c.  $\tau\acute{\omicron}\ \pi\acute{\omega}\upsilon\ \pi\acute{\omega}\epsilon-ος$ . Contra factam esse accessionem sive dilationem videtur probari huiusmodi ratione formarum:  $\eta\ \nu\acute{\alpha}\upsilon\varsigma$ , gen.  $\nu\acute{\alpha}-ός$  (pro  $\nu\acute{\alpha}F-ός$ , Scr. *nāus*, gen. *nāv-as*, Lat. *nav-is*),  $\acute{\omicron}$ ,  $\eta\ \beta\omicron\upsilon\varsigma$ , gen.  $\beta\omicron-ός$  (pro  $\beta\omicron F-ός$ , Lat. *bōs*, gen. *bōv-is*), in quibus *w* (*F*) consona haud dubie excidit; idem confirmabitur et paene certum reddetur, ubi consideraverimus id, quod evenisse in lingua Sanscritica accepimus: ibi enim ante vocales *i* et *u*, cum *s* genitivi adiungitur, *a* (*guna* appellatur) accedit, similisque accessio etiam in Zendica lingua et aliquatenus in Littavica et Gothica

reperitur: cf. Scr. nom. *stinus*, gen. *sunó-s* (filii) ex *sunaus*, Litt. *sunau-s*, Goth. *sunau-s* (Sohnes; v. Bopp. Gr. Comp. §. 185). Hac via etiam declinandi modus ille Homeri nom. ἡ πόλις, gen. πόλιος, dat. πόλιι cet. explicari facillime poterit, nam hoc η natum videtur ex e + i sive e + j.

Pro o etiam ω in stirpibus vocali ῑ vel ō terminatis ante s genitivi invenitur. Boppius Gr. C. §. 192 suspicatur, hanc terminationem ως traditam esse ex genitivi suffixo Sanscritico *ás*, quod in generis feminini stirpibus vocali *i* vel *ú* (vel *á*: cf. quae mox de stirpibus dicemus, quae in á exeunt) conclusis semper comparet, in iis autem, quae ῑ vel ō finiuntur, cum simplici s (fortasse ita ut ῑ et ō litteram á absorbeant) haud raro mutatur: v. c. nom. *wadhú-s* (femina), gen. *wadhv-ás*; nom. *prítí-s* (generis f., amor), *tanú-s* (f., corpus), gen. *príté-s*, *tanó-s* (per gunam pro *prítai-s*, *tanau-s*) et *prítj-ás*, *tanv-ás*. Quod si vera est Boppii conjectura, hoc liquet, ingenium Graecae linguae non jam sensisse indolem femininam esse longae vocali: nam juxta reperitur in nominibus et feminini et masculini et etiam neutrius generis: cf. ἡ πόλις, gen. Jon. πόλιος et Att. πόλιος, ἡ ὄφις, gen. J. ὄφιος et A. ὄφεος: ὁ πῆχυς, gen. πῆχεος: τὸ σῖνᾰπι et σῖνᾰπω, g. σινάπεος et σινάπουος, τὸ μῖσυ, g. υ-ος et ε-ος, τὸ ἄστυ, g. ε-ος et ε-ος. Ceterum etiam hoc evenisse potest, ut ex consuetudine linguae satis cognita — ω pro o succederet ad compensandam quae excidisset υ, F, quemadmodum ā ex ā in accusativo nominum generis masculini in εω exeuntium: v. c. ὁ βασιλεύς, g. βασιλέος, acc. βασιλέ-α, βασιλέ-ας (pro — ἐFā, ἐFās). De objecta s genitivi pronominis ἐμοῦ cet. vid. quae mox dicentur de stirpibus in o desinentibus.

b) In Latina lingua suffixum genitivi prisca sua forma *us* in stirpibus pronominum *i* vocali conclusis ad evitandum fortasse duplex *i* servatum et tribus generibus commune est: cf. *ipsi-us*, *illi-us*, *ali-us*, *isti-us*. In genitivis *cuj-us* (pro *quoj-us*), *ej-us*, *huj-us* stirpium in *i* desinentium qui, *i-s*, hic producta penultima liquidae debili *j*, quae ad se sustentandam positionem efficit, attribuenda esse videatur; sonum autem *u*, quem stirps exhibet in genitivo *huj-us* et dativo *huic*, qua talis, mirationem facit: quem si pro *o*, Scr. *a*, accipias, tunc suffixum *i* in *hu-i-c* unum habeamus, quod in dativo numeri singularis stirpium cum o finitarum (Dat. Gr. ω, Lat. ō) servatum sit. Producta vocalis *i* ante vocalem in *illius*, *alius* sic tantummodo explicari potest, ut statuamus, *i* stirpi propriam pro Indica consuetudine sub a) commemorata in *ij* vel *aj* et inde contractione in *i* (id ante *ei* scriptum est) mutatum esse. — Jam *i* in pronominibus allatis pro littera characteristicam habendum esse, ex hac formarum variatione sequitur: *ali-modi* (pro *aliumodi*: Fest. in epitome Pauli p. 23) *cui-cui-modi* (pro *cujus-cujus-modi*), in quibus casus signum ita excidit, ut in *multimodis* (pro *multis modis*) factum videmus (cf. Pottius Qu. E. II, p. 633 et 651. — Boppius Gr. Comp. §. 189 exitum illum *ius* sive *jus* ex inverso suffixo genitivi Sanscritici *sja* natum esse existimat, at hoc non, ut in Latinorum *ius*, omnibus generibus, sed masculino et feminino tantummodo commune est). — Genitivum in *ius* et Dativum in *i* desinentem adjectiva pronominalia quae vocantur habent *unus*, *solus*, *totus*, *ullus*, *nullus*, *uter*, *alter*, *neuter*; haec perinde atque *alius*, *alia*, *aliud* in ceteris casibus omnibus trium generum notis instructa et littera characteristicam *o* praedita comparent, quae in genere feminino *a* fit, nulla *i* antecedente, unde verisimile est, *i* falsa quadam analogia in dativo et genitivo pro *o* interpositam esse, dum in *alius*, *alia*, *aliud*, si comparetur Sanscriticum *anja-s*, Graecum ἄλλος (pro ἄλος, n mutata in λ et assimilata j in λ), litteram characteristicam *o*, *a* in genitivo et dativo abjectam esse liquet.

In genitivis stirpium Latinarum, quae *i* terminantur, pro *is* simplex *s* accessit, ut forma nominativi a genitivi nihil discrepet: v. c. *navi-s*, *puppí-s*, *facili-s*. Idem observatur in stirpibus Gothicis, quae vel in vocalem litteram *i* et *a* (in his autem alteris *a* in *i* transit) vel in consonantem aliquam desinunt, itemque in Zendicis, quae *r* clauduntur: veluti Goth. *vulfi-s* (pro *vulfa-s*), *dagi-s*, Saxon. vet. *daga-s* *Ṫag-es*; Goth. *fiand-s* *Ṫeind-es*, *bróthr-s* *Brudr-es*; Zend. *nar-s* hominis (v. Bopp. G. C. §. 191).

Nomina Latina generis feminini parisyllaba (tertia declinationis), quorum est littera characteristicam *e* (hoc ē videtur feminino i linguae Sanscriticae aequiparandum esse), cum flectuntur, *e* correptam et in *ī* mutatam accipiunt eoque cum stirpibus in *ī* desinentibus consentiunt: v. c. *nubē-s*, gen. sg. *nubi-s*, pl. *nubi-um*.

In stirpibus litteram *ŷ* characteristicam habentibus (quartae declinationis) suffixi vocalis *ī* non excidit, sed cum vocali antegressa coaluit, unde hoc *u* producitur: veluti nom. *quercū-s*, *fructū-s*, gen. *quercūs*, *fructūs* (e *fructū-īs*, *quercū-īs*). Ab hac norma recedunt nomina monosyllaba (tertiaē declinationis) *grū-is*, *sū-is*, *bōv-is* (nom. *grūs*, *sūs*, *bōs*, *βοῦς*).

Sanscriticae linguae stirpes in vocalem a exeuntes in genitivis masculini generis et neutrius suffixum plenius *sj-a* (pro *sj-as*, abjecto genitivi *s*) accipiunt, quod Pottius Qu. E. II, 632 ex genitivi terminatione adhuc tractata *ās* (Gr. *ος*, L. *īs*) cum stirpe pronominis, quae aliquando videatur fuisse, *si* vel *smi* (~ ipse) quaeque in *ἡμεῖς* et *ὕμεις* compareat, compositum esse putat. Ad idem hoc suffixum etiam terminatio genitivi stirpium Latinarum et Graecarum in *o* desinentium (secundae declinationis) et Graecarum, quae generis masculini *ā* vel *η* (primae declinationis) habent, debet referri.

In Graecis his stirpibus primum *sj-a* suffixi *s*, quemadmodum in tot aliis terminationibus declinando natis, excidit, ut ex Scr. *sj-a* nihil nisi *i-o* superstes esset (quod hoc *s* in nullo nomine servatum est, id non magis mirum vidēri debet, quam quod penitus evanuit inter duas vocales nominum sibilantium, quae in *ε* *ς* desinunt, et in secunda persona singularis numeri generis medii et passivi in modo optativo: cf. *γέν-ε-ος* (pro *γέν-εσ-ος* *gen-er-is*); *τύποι-ο*, *τύψαι-ο* (pro *τύποι-σο*, *τύψαι-σο*); atque hanc formam (*i-o*) in genitivo, quem vocant Thessalorum, apud Homerum, etiam apud Pindarum et in locis lyricis tragicorum poetarum agnoscimus: cf. *τῶο* (prius *o* stirpis pronominalis proprium est, ut dispertendum sit *το-ο* = Scr. *ta-sja*), *λόγο-ο* cet. Praeter consonam *s* mox etiam *ι* (fortasse ante mutata in *j*) evanuit, ut ex suffixo nihil quam *o* superesset, id quod in stirpibus parisyllabis *ω* conclusis (declinationis secundae, quam vocant Atticam) et in stirpibus parisyllabis masculinis *α* vel *η* terminatis (primae declinationis) apud Homerum revera invenitur: cf. II, 2, 552 *Πετῶ-ο*, 14, 489 *Πενελέω-ο*, item *Βόρᾶ-ο*, *Ἀτρείδᾶ-ο*: in stirpibus parisyllabis in *o* desinentibus (secundae declinationis) hoc suffixum cum littera characteristicā *o* in *οο*, qui exitus vulgo obtinetur, commixta est: cf. *τῶο*, *λόγου* (ex *τό-ο*, *λόγο-ο*). Ionica terminatio *εω*, quae apud Herodotum in genitivo nonnullorum nominum propriorum, quibus *o* littera characteristicā est quaeque ad secundam declinationem flectuntur, invenitur (perinde genitivi pluralis exitus *εων*), fortasse variante sono *o* vel potius variante sono priscae litterae *α* (Scr. *a*) in *ε*, et producto suffixo *o* in *ω* ad supplendos qui exciderant sonos, nata videtur esse; unde possis explicare, cur hoc *ω* accentum non afficiat: cf. nom. *Βάττω-ς*, *Κροῖσο-ς*, *Κλεόμβροτο-ς*, gen. *Βάττωω*, *Κροῖσσω*, *Κλεομβρότῳ* (non *Βαττίῳ* cet.) pro *Βάττω* cet. In Dorica dialecto apud Theocritum *ω* pro vulgari *οο* reperitur, id quod apud Dores etiam in accusativo numeri multitudinis locum habet: cf. *τῶς νόμως* (i. e. *τοὺς νόμους*). Eadem observantur in stirpibus masculini generis in *α*, *η* exeuntibus: etiam in his dialectus Ionica ad litteram *ε* prona, ac non solum in nominibus propriis sed etiam in appellativis, inversa syllabarum quantitate, accentu non mutato, *εω* asciscit, veluti *Ἀτρείδεω*, *πολίτῳ*: apud Homerum praeter priscum *ᾶο* et Ionicum *εω* etiam *ω*, contractione ortum, reperitur, atque *εω* apud hunc semper cum synizesi efferendum est, fortasse sic, ut *ε* similiter atque *j* sonaret (rursus etiam *ι* saepe in *ε* transiit, veluti in *ἔμεο*, *ἔμοῦ* stirpis *ἔμι*): cf. *Ἀτρείδᾶο* *Ἀτρείδεω*, *Ἑρμείᾶο* *Ἑρμείῳ* (quae posterior forma *Ἑρμείῳ* pronuntiata sit), *Βορέῳ* *Βορέω*, *ἔϋμμελίᾶο* *ἔϋμμελίῳ*, *ἰκέτῳ*, *σοβώτῳ*: Dores *ᾶο* pro sua consuetudine in *ᾶ* contrahunt, unde v. c. *Βορέᾶ*, *Ἀτρείδᾶ*. — Σ casus genitivi apud Aeoles et Dores restitit in pronomibus personam denotantibus *ἔμεϋς* *ἔμοϋς*, *τεϋς* *τεοϋς*, *έοϋς*, si quidem littera characteristicā in his re vera *o*, ut Boppius Gr. C. p. 468 et 457 sq. statuit, ac non *ι* est, ut suadere videntur Aeolicae genitivi formae *ἔμείως*, *τίος* *τίους* *τίως* *τίω* (= *σοῦ*), *γίος* *γίῳ* (= *οῦ*, pro *Γίος* *Γίῳ*, epic. *ἕα* *οῦ* et cum digamma *Γέο* *Γεῦ*, ubi *ε* guna — cf. *εἶο* — et *ι* elisum videatur; cf. Pott. Qu. E. I, 155). Boppius l. c. litteram *ς* his formis non ab initio sed serius adjectum esse putat, id quod difficiliter demonstrabis.

Naturalis admodum et probabilis quaedam conjectura est, idem suffixum *sj-a(s)* tam in genitivi terminatione *ī* stirpium Latinarum in *o* exeuntium quam in *ω* earundem stirpium Graecarum latere. Forma enim antiquior *ei*, veluti *populei*, *liberci*, *ostiei*, primum in *e-i* (aeque ac stirpium primae declinationis, quae

*a* habent, *ae* in *a-i* dissolvenda est, inter quas vocales *s* determinationis *o-sj*, *o-si* (pro *o-si-is*) excidit, *o* autem pristinum vi assimilationis subsequentis *i* in *e* transit (e-i), post has autem litteras vocalis extrema *i* (Ser. *a*, Gr. *o*) privata genitivi littera *s* a suffixo *j*, *i* absorpta est (cf. Pott. Qu. E. II, 632 sqq. adversum Bopp. Gr. C. §. 189). Diphthongus *ei* in hunc modum orta tandem contractionis vi mutata est in *i*, quae vulgo in illis genitivis conspicitur, veluti *populī*, *liberī*, *ostī*. In nominibus, quorum postremae nominativi syllabae *ius* et *ium* sonant, cum *i* genitivi, quod ipsum ex tot elementis coaluit, apud auctores Latinos meliorum temporum etiam *i* stirpi proprium contractum est: v. c. filī, consilī, ingenī, imperī Appī, (cf. Gell. 1, 24; Varr. L. L. 8, 18; Lucr. 5, 1004; Virg. Aen. 3, 702); sed tamen jam apud Propertium aliquoties, saepe apud Ovidium, apud subsecutos autem poetas vulgo forma soluta reperitur (vid. Bentl. ad Ter. Andr. 2, 1, 20). Conservatus est hujus antiquae contractionis genitivus *mancipi* in pluribus formulis iudicialibus.

Stirpes femininae in *a* desinentes in lingua Ser. genitivi suffixum *ās* accipiunt (vocali characteristica producta, contra quam fit in masculinis, quod discrimen feminini generis et masculini etiam in nominativo saepe deprehenditur, quodque tam in hoc casu quam in illo derivationis vel motionis vi effectum est); huic *ās* antecedit *j*, quo impeditur, quo minus stirpis *a* cum *a* suffixi concreseat, ut suffixum conjunctum cum vocali characteristica formam praebet *ājās*. Graecae stirpes, quae exeunt in *α*, *η*, genitivi *ς* tenuerunt, *j* autem vel *i* abjecto vocales jam concurrentes in unam junxerunt, vel — et id fortasse rectius statuitur, leviolem vocalem suffixi a firmiore characteristica absorberi passae sunt, ut non tam vere sic dividatur: gen. *σοφί-ās*, *μούσ-ης*, sed *σοφί-ās* (nom. *σοφία*), *μούσ-ης* (nom. *μούσα*, correpta vocali characteristica, quae tamen et ante genitivi et dativi suffixum pristinam mensuram longam servavit: cf. exitus Graec. plur. *α-ων*, Lat. pl. *ā-rum* et sing. *ā-ī*, quem apud poetas legimus, cum Ser. *āj-ās*. Similem absorbendi rationem jam supra, ubi de Sanscriticis generis feminini stirpibus in *i* et *ū* sermo est, docuimus formis illis *prité-s*, *tanā-s*. — In Latinae linguae stirpibus, quibus postrema est *a*, truncatio duplex animadvertitur: 1) primum, sicut apud Graecos, *j*, *i* excidit et *a* duplex contractum est. Hujus generis formas monumenta scriptorum Latinorum exhibent genitivis *Latonas* et *familias*, quorum posterior junctus reperitur cum nominibus *pater* et *mater*, *filius* et *filia*: ut *paterfamilias*, *materfamilias* cet.; eademque forma serius quoque pariter atque altera *familiae* in usu esse non desiit. Etiam *aliās* et *alterās* huc pertinere creditum est; sed Latini genitivo suo nusquam, sive locus designandus est sive tempus sive modus, pro adverbio utuntur, immo has vices partim casus ablativus, genitivi fere gemellus, partim accusativus sustinet. Quapropter tam *aliās* quam *alterās* rectius cum Pottio (l. c. II, 306 sq.) accipiuntur pro ablativis truncatis aut accusativis neutralibus, quorum exitus partim elisione partim contractione ortus Sanscriticum neutrum *ahas* (dies) sive *ājus* (aetas, Graec. Dor. *αἰές*, vulg. *αἰί*) contineat). — Etiam in stirpibus imparisyllabis, quarum *ē* postrema est (declin. quintae), via modo descripta genitivi exitus *ēs* conformatus est; sed haec quoque forma obsolevit ac pro certo in nomine tantum composito *Dies-piter* potest commonstrari, in aliis nominibus e. g. *rabies* ap. Lucr. 4, 1077, *res* ib. 3, 931, variant lectiones. In formis ejus dialecti, quae in ore vulgi fuit, stirpes *a* terminatae aliquando in genitivis *aes* et *es* ostendunt: v. c. partis *dīmidiaes*, *suaes*, *Bellonaes*, *Italiaes*; *acternes*, *benignēs*, *Minervēs*; in his luculentae reliquiae suffixi *j*, *i* post stirpem adjecti sese ostendunt; sed idem integrum remansit in genitivi terminatione *āī*, ubi *a* suffixum absorptum et *s* abjectum est. Vocalis *a* sequente vocali defensa, item atque in genitivo numeri multitudinis, pristinam suam longitudinem servavit; ipsa autem terminatio *āī* apud poetas Latinos diu in usu fuit: v. c. *linguā-ī* (Ser. *dshihwāj-ās*), *aulā-ī*, *aurā-ī*, *pictā-ī*. Eo quod *i* debilitabatur, utraque syllaba coaluit in diphthongum *ae*, unde *linguae*, *aulae* cet., sed *i* integrum servabatur syllaba per se constans in stirpibus imparisyllabis, quarum *ē* postrema est (generis femin. et declinat. quintae), atque etiam hoc loco longitudinem vocalis antecedentis plerumque toleravit: cf. *speciē-ī*, *effigiē-ī*. Politae linguae Latinae temporibus *e-i* aliquando in *ē* et *ī*, hoc tamen raro ob majorem vocalis characteristicae firmitatem contractum reperitur: v. c. *diē*, *plebī*.

## 4. DE ABLATIVI SINGULARIS NUMERI CONFORMANDI RATIONE.

Nota casus ablativi integrior, ut ante exposuimus, in lingua Scr. est *tas*, Lat. *tus*, Gr. *θεν* (haec ipsa in stirpibus, quae consonantem in fine habent, interposita *o*, quae vocalem habent, nulla ascita littera, adjungitur, id quod exemplis *πατρό-θεν*, *ὄρνυθό-θεν*, *δαίτη-θεν* cet. supra ostensum est), et aucta debilitatione apud Scr. linguae homines *t*, Latinae *d*, raro *t*, Graecae, ubi postrema suffixi littera posita est, *ς*, ubi intus, *δ*.

Apud Latinos in exitu ablativi fuisse *d* inscriptiones duae illae gravissimae probant, quae in *Columna Rostrata* Duillii et ex senatusconsulto *de Bacchanalibus* ad nostram memoriam pervenerunt: quippe in his omnes ablativi singularis numeri in *d* exeunt. Stirpibus in vocalem desinentibus simpliciter, iis, quae consonantem habent, ascito *ē* applicatur sive *ī*, quod ex *ē* (ut hoc *ē* ex *a*, quam litteram principem in ablativo Zendica lingua, in accusativo Sanscritica servavit) debilitatum est: cf. *mari-d*, *navale-d* (pro navali-d), *senatu-d*, *alto-d*, *publico-d*, *praeda-d*, *pugna-d*; *dictator-e-d*, *praesent-e-d*, *convention-i-d* (Zend. *vác-a-t* = voc-e; acc. Scr. *vác-ā-m*, Zd. *vác-ē-m* vòc-e-m). In vocalibus etiam stirpibus duabus, quae *u* concluduntur, *sūs* et *grūs* *e* littera auxilio adhibita est, et similis anomalia ex stirpibus consonante conclusis assumpta aliquoties in stirpibus in *u* desinentibus linguae Zendicae reperitur, dum ibi *at* pro *t* adjungitur (vid. Bopp. Gr. C. §. 180, p. 212). Inde ab anno post U. c. 566 haec ablativi nota, quae linguae Scr. tantum in stirpibus *a* habentibus mansit, apud Latinos ita ex usu evanuit, ut non nisi in paucis ablativi formis jam rigide concretis resideret, veluti in *sed*, quod olim ablativus pronominis reflexivi fuisse videatur, cui vocalis aut ob finem vocis aut per mutatam vim correpta, producta vero ab origine in *sed-itio* est (cf. *se* fraude fern von Betrug, sander B.; *si-ne* οήνε). Non cum *d*, *sed*, ut in lingua Scr. et Zend., cum tenui *t* idem ablativi signum effertur in suffixo *met*, si hoc pro ablativo pronominis Scr. *sama*, *sma* (ablat. *smā-t* *selbft*) incipiente *s* abjecto habendum est, nec cum L. Diefenbachio ab adjectivo *medio*, pariter ac Italicorum *medesimo*, *mismo*, Gall. *même* derivandum (cf. Pott. Qu. E. II, 264; Bopp. Gr. C. §. 182; Dief. „Ueber die Romanische Schriftsprache“, p. 73). Amissam consonantem ablativi propriam *d* lingua Latina compensavit in stirpibus in vocalem exeuntibus vocalem hanc characteristicam producendo. Quo factum est, ut plurimae stirpes in vocalem exeutes, etiam stirpes in consonantem desinentes eae, quae *ī* pro *e* susceperunt, quantum attinet ad externam formam, non ad internam indolem, formam ablativi dativo numeri singularis similem acceperint: cf. abl. *magistratū* (pro *ū-d*), *pugnandō* (pro *ōd*), *pugnā* (pro *a-d*) cum dativo *magistratū* (pro *ū-i*), *pugnandō* (pro *ū-i*, Gr. *φ*), *pugnae*; *felic-ī* cet. Stirpes, quarum *i* postrema littera, multae *ē* pro *ī*, eae autem, quarum postrema consonans, quibus abjecta *d* remansit vocalis ad vincendum assumpta *ē* (— sic apud Graecos post abjectionem *v* vocalis *a* vincendi causa ascita resedit —), saepe *ī* pro *ē* receperunt, ideoque utraque terminatio permutata passim comparet: v. c. *cive* pro *civi* et una cum *civi*, *felic-ī* pro *felicē* et cum *felic-ē*. E breve, sine supplemento ejecti *d*, tum plerumque in stirpibus extremam vocalem *i* habentibus, tum semper in parisyllabis in *e* desinentibus (tertia decl.) reperitur: v. gr. *nubē*, *caedē* (pro *nubēd*, *caedēd*). Itaque in his non solum *d* amissum est, sed etiam quantitas vocalis detrimentum cepit, contra atque in stirpibus imparisyllabis in *ē* exeuntibus (quinta decl.): cf. *diē*, *faciē*. Quemadmodum in accusativo, sic etiam in ablativo *ē* stirpis proprium probe discernendum est ab *ē* quod pertinet ad suffixum quodque vincendi gratia inseritur: cf. *cive*, *nubē* (pro *civi-d*, *nubē-d*) cum *vóc-ē*, *leon-ē* (pro *vóc-ēd* cet.). Longitudo *i* in ablativo stirpium consonante conclusarum non ob ejectum *d*, sed tum ipsa littera *i* (pro *e*), tum quantitas ejus ob falsam analogiam admissa est.

Quod attinet ad longitudinem vocalis extremae in stirpibus vocali conclusis hoc tenendum est, in lingua Scr. et Zend., ubi *t* ablativi non excidit, tamen vocalem characteristicam, alioqui brevem, productam esse, ut stirpes Sanscriticae et Zendicae, quarum postrema est *ā*, in *āt*, Zendicae, quarum postrema *ι*, in *óit*, quarum postrema *u*, in *aót* exeant (Bopp. Gr. C. §. 180). Ab initio hanc longitudinem vocalis etiam Latina

lingua ante *d* tenuerit; apud Graecos eadem perseveravit in adverbis, quorum  $\omega\varsigma$  postrema syllaba quaeque a stirpibus *o* definitis descendunt, si quidem hae formae pro ablativis habendae sunt, sic ut litera  $\varsigma$  admissa sit pro linguali  $\delta$ , quippe quae in fine vocabulorum posita, quoties non abjecta est, in sibilantem litteram transire soleat: cf. τὸ τέρας (pro τέρατ), τὸ ποίημα (pro ποίηματ). Quod si ita se res habet, ὁμῶς natum est ex ὁμῶδ sive ὁμῶτ (Scr. samât), οὕτως (οὕτω ante vocem consona littera incipientem), ὡς ex οὕτωτ, ὡτ cet.; atque tunc hae formae Latinis adverbis *o* definitis respondebunt (item Sanscriticis in *ât* finientibus): cf. *raro*, *perpetuo*, certo.

In stirpibus Graecis consonantem in fine exhibentibus duplex forma animadvertitur: una eaque rarior in  $\eta$  exit, id quod usu venit in πάντ- $\eta$  (pro πάντ- $\epsilon\tau$  sive πάντ- $\epsilon\delta$ , ubi pro abjecta linguali vocalis producta est: nam scribendi ratio πάντ $\eta$  cum iota subscripto falsa est et pravam formam feminini generis (pro πάντ $\eta$ ) esse statuit, ut recte monuit Benary in *Elementorum Latinorum* voluminis I, p. 37 adn., quamquam apud Latinos adverbia  $\bar{\epsilon}$  definita pro ablativis generis feminini, sed a stirpibus in vocalem desinentibus, existimanda sunt: cf. *certē*, *rectē*, *doctē* cet.); altera in  $\omega\varsigma$ , ad normam stirpium vocali definitarum perperam procreata (sic etiam in Zendica lingua a stirpibus in consonantem exeuntibus ablativi in *ât* falsa analogia pro *at* fiunt (Bopp. l. c.) et in Latina, ut jam docuimus, cum exitu  $\bar{i}$  pro  $\bar{e}$ , ac rursus in hac lingua in stirpibus parissyllabis vocali  $\bar{e}$  conclusis ablativi cum  $\bar{e}$  pro  $\bar{e}$  deprehenduntur): v. c. σωφρόν- $\omega\varsigma$ , πάντ- $\omega\varsigma$ . — In mediis vocibus lingualis ablativi propria apud Graecos in compluribus vocabulis compositis locum obtinuit, ibique media potestate praedita est: v. gr. in ποδ-ἄπό- $\varsigma$  h. e. von (= ἀπό) πο (= πό) ηετ (= δ) seiend-er (=  $\varsigma$ ), τηλεδ-ἄπό- $\varsigma$  h. e. von (= ἀπό) weit (= τηλε) ηετ (= δ) seiend-er (=  $\varsigma$ ), ἡμεδ-ἀπό- $\varsigma$  (cf. Scr. abl. asmat), ἀλλοδ-ἀπό- $\varsigma$  (cf. S. abl. anja-sma-t, annexa syllaba *sma*); perinde in compositis Latinis, veluti in *prod-ire*, cujus vocis prior pars *prod* (inde *pro* abjecto *d*) ablativus esse generis neutrius videtur, quemadmodum vocabulum *extra* (*extra-d*) pro ablativo generis feminini accipiendum est.